

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5919

Auteur(s) : Jean, Évreux (évêque)

Auteur(s) : Victor, Saint-Martin-de-Boscherville, Saint-Georges de Boscherville (abbaye)

Auteur(s) : Simon, Conches-en-Ouche, Saint-Pierre de Castillon ou Châtillon (abbaye)

Bénéficiaire(s) : Saint-Évroult-Notre-Dame-du-Bois, Notre-Dame (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1187-1192, 10 janvier]

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Jean, évêque d'Évreux, Victor, abbé de Saint-Georges de Boscherville et Simon, abbé de Conches, délégué par le pape Lucius III, règlent un conflit survenu entre les moines de Saint-Évroult et Richard, prêtre du Merlerault, à propos du droit de patronage de l'église du Merlerault, de la moitié de l'autel de cette église, et de deux parts de toutes les dîmes en lin, en chanvre et en légumes appartenant à cette église.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Combalbert Grégory, *Actes des évêques d'Évreux (XIe siècle-1223)*, à paraître sur E-Cartae(lien à venir)

Texte établi d'après a

Johannes Dei gratia episcopus Ebroicensis, Victor Sancti Georgii et Simon de Chonchis abbates, omnibus ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in Domino. Sicut iudicarie sollicitudinis est lites dirimere, ita ad eandem sollicitudinem pertinet ne processu temporis cause sopite resuscitari valeant competenti cautela sollicite providere. Inde est quod, presentis scripti annotatione, posteritati duximus significandum causam que inter dilectos nostros abbatem et monachos Sancti Ebrulfi et Ricardum presbyterum de Merula super jure patronatus ecclesie de Merula et medietatem tocius altaris ejusdem ecclesie, et duabus partibus omnium decimarum garbarum videlicet lini, canabi et leguminum ad eandem ecclesiam pertinencium, et modo eas colligendi et dividendi, quam nobis venerabilis pater noster Lucius papa III commisit audiendam et fine canonico, appellatione remota, terminandam, in hunc modum terminatam fuisse : partibus itaque ad nostram presenciam die et loco competenti evocatis, et sese nobis presentantibus, lite contestata, cum predictus abbas et fratres ad assertionem intentionis sue testes omni exceptione majores produxissent, post varias allegationes, causam ipsam, ne quid propreere statueremus, ad diem aliam prorogavimus ad quam, cum partes iterato nostro se conspectui representassent, sepedictus Ricardus presbyter, postquam testes prenominati et monachorum et abbatis juratos et diligenter examinatos receperamus, de causa sua vero nobis videbatur prorsus diffidens, in vocem prorumpens appellationis, a presenciam nostra contumaciter recessit. Nichilominus vero nos, eum ab errore suo revocare cupientes, eundem ad diem aliam, antequam ad sentenciam procedere vellemus, duximus evocandum, ad quam convenisset. Publicatis attestacionibus et diligenter inspectis sepedicti abbatis et fratrum, cum ex eorum concordati testimonio plenius nobis liqueret prefatum R. presbyterum institutum fuisse in jam dicta ecclesia ab Arnulfo Lexoviensi episcopo ad presentationem monasterii Sancti Ebrulfi et, de jure veteri et antiqua consuetudine, et per instrumenta publica, in advocacionis ejusdem ecclesie

et medietatem tocius altaris et duas partes omnium decimarum garbarum videlicet lini, canabi et leguminum colligendas et dividendas in granchia monachorum Sancti Ebrulfi que solet et debet esse in cimiterio ejusdem ecclesie et sepenominatos monachos pertinere, idem Ricardus, intelligens se male egisse incontinenti confessus est in jure coram nobis supradicta omnia de quibuscumque temporis agebatur ad prefatos monachos perpetuo pertinere. Nos vero sententiam ipsam amplius suspendere volentes, ad consilium domini Rothomagensis et aliorum in jure peritorum talem promulgavimus sententiam videlicet ut monasterium Sancti Ebrulfi universa que in lite vertebantur quieta de cetero et pacifica obtineat et in perpetuum possideat. Et ne hujus facti veritas ignoretur, sigillorum nostrorum munimine duximus roborandum.